







1740

1. Buderus, Christianus Gottl. : De violenta defensione
petrata in ista civitate.
2. Buderus, Christianus Gottlieb : Investigatio verae signi-
ficationis formulae investiturarum feudaliū : cum
Haud und Anord, sub quo argumento ad dissertationem
in ang. . . . Adolpho Heuseri Bernghausen . . . iuritat.
3. Buderus, Amst. Gottlieb : De commissario Imperiali in
causis feudaliū sigillationem ad investituras.
4. Buderus, Christianus Gottl. : De iuris pecorum vera-
tium.
5. Ingen, Fr. Rudolphus : An eius religionis causa
emigraturi queant transplantari ?
6. Ecker, Fr. Georgius : De iuribus episcopi Catholici
in Germania.
7. et. Braunius, Carolus Adolphus : Meditationes de
iuribus competentibus causarum, quae de exorbitan-
tibus imperii apud, quibus ad dissertationem
in ang. . . . Caroli Adolphi Braunii . . . iuritat. 2 Sampl
1740 & 1741.

1740

8^{1st} Esler, Fr. Georgius, Ord. Fel. Decanus: Commentatio de
jure exclusivae et appellantis, quo Caesar Augustus uti po-
test, quum patres purpurati in creando pontifice sunt
occupati, qua. . . ad Dis. inaug. — Frunsi Frederici
Frunsi . . . inur. lat. 2 Sampl. 1740

9^{2st} Esler, Fr. Georgius, Ord. Fel. Decanus: Programma: de
jure poscendi litteras, quas vocant credentiales
a legatis . . . Dissertationi inaug. . . Guntzelini Auto-
rici Tenhlii . . . praemissum. 2 Sampl

10. Esler, Fr. Georgius, Fac. p. Fel. Decanus: memoriam
judicii principum Germaniae ex pace Westphalica
capitulati onibus et armationum vetustate eruit
et simul ad Dis. inaug. Frunsi Adolphi Danielis
Mancke . . . inur. lat.

11^{1st} Esler, Fr. Georgius: De utro in matrimonium inae-
qualia et restricto jure nobilitatis Germaniae quod
ad comitia. . . 2 Sampl. 1740² 1750.



1740

12. Gunge Imege, Frid. And. Gullieb: De iurejurando
Indaei per procuratorem Indaei
13. Heimburgis, Fr. Corp: De iure creditorum facta de
hereditate transactione.
14. Heimburgis, Fr. Corp: De chirographo post XXX annos
adhuc valido.
15. Hertelias, Fr. Fredericus; Fac. jur. ex decano: Programma
de commissario principalem representante, Justitiani
Justi Gran, Dissertationi inaugurali . . . praemis.
sum
16. Hertelias, Frater Fredericus: De prohibitione ingre-
tudinis in benefactorem
17. Hückel, Fr. Samuel: De indole philosophiae in genere
et in specie metaphysicae.
18. Hummerichius, Bidericus Hermannus: Programma
de questione: an iuris iurandi delatio contra matri-
monium habeat locum?; Dissertationi inaug. Frater
Jacobi Torker . . . praemissum.

1740

19. Koch, Friedrich Christianus: De protestationibus et
de censuris praesentibus.
20. Langerus, Thomas Christophorus: De differentia spirituum
phantomum ex illorum actionibus eruta amentem
divino spiritu.
21. Mullerus, Cornelius Gottlieb. Teleologia de existentia
corporum ex eorum omnimoda eoque completa exis-
tendi possibilitate convictus.
22. Pfeiffer, Jacob. Skenfied: De lege interpretandi
prima et fundamentali.
- 23^{a, b}. Schubert, Joannes Inuentus: De obligatione pleni
potentiaris erga principem et republicam. 3. Imp.
1740 & 1741.
24. Uffel, Carolus Augustus, ab: De hereditate nobilitatis
personarum Illustrissimorum.
25. Walperthus, Fridericus Paulus: De jure et officio
domini erga bruta.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA ^{1740, 17}

21

DE INDOLE
PHILOSOPHIAE IN GENERE
ET INSPECIE
METAPHYSICAE

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE COMITE SAY-
NAE ET GVITGENSTEINI RELIQA

IN ACADEMIA IENENSI
SVPERIORVM CONSENSV

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBICIET

M. IO. SAMVEL HICHTEL

ANHALTINVS

ET DEFENDENS

PETER KOCH

HVSVMO SLESVICENSIS

SACR. LITTER. ET PHILOS. CVLTOR.

DIE APRILIS CIO IO CCXXX.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.





SECTIO I.
DE INDOLE PHILOSOPHIAE
IN GENERE.

§. I.



um mihi in hac inclita Salana
scholas denuo aperturo, speci-
men aliquod academicum in
lucem esset edendum, ex variis,
quae se mihi offerebant, argumentis, il-
lud, quod in hac qualicumque opella per-
tractatum conspicitur, elegi, hanc potis-
simum ob causam, ut eorum, quantum
quidem in me est, consulerem commodis,
qui philosophiam demum adgrediuntur,
quique se accingunt, ad primam eius par-
tem, Metaphysicam puta, duce quodam,
rite addiscendam. Horum quam maxime
interest, ut ante omnia sciant, quid rei sit
philosophia, quid Metaphysica? Hoc igitur
ut ex hacce disertatione perspicere
possint, qui volunt, omnem adhibui cu-
ram. Ex hoc fine hancee qualemcumque
opellam omnis lector diiudicet, velim.
Non scripsi doctis, sed iis, qui in philoso-
phia primas ducere volunt lineas; hinc ea

saltem in medium protuli, aliis misis, quae his scitu sunt necessaria, quaeque totius philosophiae pertractationi fundamenti loco sunt substernenda. Si haec, quae de indole philosophiae in genere ac in specie Metaphysicae hic traduntur, quibusdam placere sensero, addam, quam primum poterò, quae de Logicae, ac moralis doctrinae indole in primis sunt tenenda.

§. II.

Habitus est facilitas aliquid agendi.

Deducenda est, quam suppeditavi, habitus notio ex communi loquendi usu, ea ratione, quae in Logica praescribitur; cogitemus scilicet varios casus, in quibus vulgo adhibere consuevimus habitus vocabulum, et discipiamus, quid in istis casibus deprehendatur, in quo omnes conveniunt, hoc si per abstractionem invenimus, animus noster concipit notionem, quam exhibui de eo, quid sit habitus. Observamus scilicet quod in omnibus istis casibus, in quibus voce habitus uti solemus, adfit facilitas aliquid agendi, v. g. habitum saltandi de eo demum praedicamus, qui sine labore multo ac sudore saltat commode. Habitum potandi adferimus de eo, qui decem pocula exhaurit eadem facilitate, quam alius unum. Eadem ratione, per inductionem omnium exemplorum, facile patecet, quod, secundum usum loquendi communem, ubiuis adfit habitus, ubi adest in persona quadam agendi facilitas; haec ergo habitum absoluit.

§. III.

Demonstrare est aliquid ex principiis indubiis

dubiis nexu concatenato legitimo deducere.

Notio impropria cum voce demonstrationis combinanda, commodissime, me quidem iudice, deduci potest ex eiusdem vocabuli significato proprio. Demonstrare scilicet proprie est accurate alicui aliquid monstrare, (praepositio enim *de* hic, ut alibi significationem simplicis intendit,) alicuius oculis aliquid sistere, ita, ut manibus palpare possit, et eiusmodi rei existentiam extra omnem dubitationis aleam positam esse agnoscat. Ex dictis facile fit manifestum, quid demonstrationis vocabulum, si improprie sumitur, commodissime possit significare; si scilicet alicuius menti existentiam rei, quae non in sensu incurrit, ita quis sistit, ut ei euadat aequae certa et euidentis, ac illius rei existentia, quae eiusdem corpori est praesens, quamque manibus potest palpare, tunc in sensu improprio rem demonstrasse dicitur. Quod haec notio actu, secundum communem usum loquendi, vocabulo demonstrationis, ubi improprie adhibetur, competat, quemuis, ad usum loquendi attendentem, experientia edocet. Quodsi autem ulterius dispiciamus, quid requiratur ad hunc finem obtinendum, ubi alicui cuiusdam rei, quae in sensu non incurrit, existentiam ea ratione, qua dixi, euidentem reddere volumus, facile reperimus, quod, quatenus per experientiam eiusmodi rei existentia probari non potest, eatenus per ratiocinia id fieri debeat; in Logica enim euincitur, quod praeter experientiam et rationem tertia via ad cognitionem rei non detur: Si autem rei cuiusdam existentiam per ratiocinia probatam dare conamur, facile est ad intelligendum, ut hoc in casu ratiocinia nostra superstructa esse debeant principiis sat euidentibus, quae alter, cui probare volumus rei existentiam, non potest non concedere, qualia principia potissimum sunt experientiae, definitiones rite

uae
tius
enti
e de
ecie
dam
num
do-

notio
Logica
quibus
et di-
in quo
nimus,
de co-
mnibus
s, ad-
andi de
ac su-
mus de
e, qua
o omni-
undum
us, ubi
ec ergo

is in-
dubiis



formatae, et axiomata. Demonstraturus ergo alteri rei cuiusdam existentiam, I) *demonstrationem suam inchoare debet a principiis indubiis.* Quodsi autem eam ab eiusmodi principiis repetat, non autem obseruet concludendi modum regulis Logices conformem, alter numquam concedet conclusiones, quae sub dicta conditione ex principiis non sequuntur, numquam se penitus conuictum profitebitur. Hoc ergo si obtinere vult qui demonstrat, *obseruet necesse est II) concludendi modum, quem scientia logica praescribit;* et ut hunc concludendi modum facile perspicere ac examinare possit is, cui res demonstranda venit, quantum fieri potest, *III) omnia ita sunt ordinanda in demonstratione, ut subsequencia ex antecedentibus prona admodum consequentia fluant;* hoc autem ubi obseruatur, nexus veritatum concatenatus adesse dicitur; dum enim omnia immediate cohaerent, et omnia robur suum ex antecedentibus et superioribus fortiuntur, in quibusdam huic veritatum nexui cum catena quaedam intercedit similitudo. Iam patet, si in summam colligas, quae fuere dicta, quod demonstrationem absoluant I) principia indubia, II) modus concludendi legibus Logices conformis, III) nexus concatenatus.

§. III.

Scientia est habitus demonstrandi.

Scientia vel spectatur in se, vel quatenus inhaeret cuidam subiecto. Scientia in se considerata est nexus concatenatus quo ea, quae in disciplina quadam traduntur, inter se et cum indubiis principiis cohaerent e. g. scientia logica est nexus ille concatenatus, quo veritates ad Logicam spectantes, inter se et cum aliis veritatibus cohaerent. Quodsi autem quis consideret scientiam logicam, quatenus inhaeret cuidam subiecto, et qua ratione ea in paragrapho consideratur, est facilitas nexum illum, qui inter veritates quasdam obtinet, perspicendi ac declarandi, seu, quod idem est, per §. II. III. est

est habitus demonstrandi; hac ratione v. c. Titio inhaeret scientia Logica, si in eo est habitus veritates logicas demonstrandi commode.

§. V.

Contradictio est, vbi de eadem re, sub iisdem circumstantiis considerata, idem affirmatur et negatur.

Cui huius definitionis veritas nondum satis est evidens, is cogitet varia exempla, de quibus contradictionis vocabulum vulgo adhibere consuevimus, et facile reperiet in omnibus istis omnes, quos contradictionis suppeditavi characteres; reperiet insuper, quod vno eorum absente, non adfit contradictio. Vnicum exemplum hic adduxisse sufficiat: fingas Caium dicere, Petrum esse doctum, fingas Titium adserere, Petrum non esse doctum: Adest secundum usum loquendi communem contradictio, adfunt omnes, quos recensui, contradictionis characteres, I) idem affirmatur et negatur, scilicet doctum esse, II) de eodem subiecto quid affirmatur et negatur, scilicet de Petro, III) Idem subiectum sub iisdem circumstantiis consideratur, qualem scilicet ad praedicatum doctrinae in genere habeat relationem. En characteres, quos in omni casu, in quo vera est contradictio reperies: Contra, vbi vnus eorum deest, nulla amplius adest contradictio, ex quo abunde adparet, quod omnes necessario ad contradictionis requirantur naturam: Nam fac I) idem non affirmari et negari, fac, vtrumque, Caium et Titium affirmare aut negare, Petrum esse doctum, nulla amplius aderit contradictio. Fingas II) non de eodem subiecto quid affirmari et negari, finge Caium dicere: Petrus est doctus; Titium autem defendere hanc propositionem: Sempronius non est doctus; omnis expirat contradictio. Adfumas III) in exemplo adlato idem subiectum, de quo

quo quid affirmatur et negatur, non sub iisdem considerari circumstantiis; fingas Caium loqui de doctrina Petri grammatica, Titium de philosophica, ita, ut si Caius dicit, Petrum esse doctum, mens eius sit, eum esse doctum grammaticum; si autem Titius ait: Petrus non est doctus, is hoc sibi velit, Petrum non esse doctum philosophum. Quamprimum haec mens eorum, qui sibi inuicem contradicere videbantur, pascit, omnis euanescit contradictio; nam hae propositiones: Petrus est doctus grammaticus: Petrus non est doctus philosophus, ita sunt comparatae, ut vna illud non neget, quod altera affirmat, ergo per eas Caius et Titius sibi inuicem non contradicunt. Iam ex dictis abunde patet, quod ex tribus istis, quos recensui characteribus, contradictio penitus possit concipi, ac quod deficiente vno eorum, nulla amplius adsit contradictio; unde adparet, me rite formasse rei, de qua dixi, conceptum.

§. VI.

Si tam affirmatio, quam negatio, quae ad contradictionem concurrit, peculiarem propositionem effertur, eiusmodi *contradictio* dicitur *explicita*; quodsi autem in vna propositione combinentur ea, quae sibi inuicem contradicunt, adest *contradictio implicita, seu in adiecto*.

Exemplum contradictionis explicitae habes in nota ad §. praec. Implicitae exemplum est, si dicis: quidam circulus est quadratus. Hic combinantur, quae sibi contradicunt, vbi enim adpellas circulum, significas rotundum quid, nam omnis circulus per naturam suam est rotundus; dum autem mentionem facis quadrati circuli, vis, ut circulus, qui per naturam suam

sem-

SECTIO I. DE INDOLE PHILOS. IN GENERE. 9

semper est rotundus, simul quadratus esse debeat
Haec aequae sibi contradicunt, ac si diceret: omnis
circulus est rotundus: Non omnis circulus est rotun-
dus, sed quidam est quadratus.

§. VII.

Ea, quae contradictionem in se conti-
nent *contradictionem inuoluere* a philosophis
dicuntur.

§. VIII.

Quae contradictionem inuoluunt, *im-*
possibilia sunt; quae contradictionem non
inuoluunt, *possibilia* adpellare consueui-
mus.

Si usum loquendi communem consulimus, facile
reperimus vulgo impossibile vocari id, quod fieri, seu
existere prorsus nequit v. c. dicimus, impossibile est,
vt bis duo plus, vel minus faciant, quam quatuor;
vt ergo habemus characterem, vel lapidem lydium, quo
determinare possumus, quid fieri possit, et quid fieri,
seu existere non possit, ex eodem characterem facile pot-
erit intelligi, quid sit possibile, quid impossibile. Hunc
characterem vt inueniamus, dispiciendum nobis est ad
characterem regularum, quas Logica praescribit, quid omni-
bus istis exemplis, in quibus impossibilitatem adesse
adferimus, sit commune. Hoc si fecerimus, facile re-
periemus, quod omnia, quae impossibilia dicuntur,
in eo conueniant, quod contradictionem inuoluant,
et quod, quamprimum hanc contradictionem in iis de-
regimus, ea impossibilia dicamus e. g. lignum ferreum
impossibile quid dicitur, vbi de eo constat quod con-
tradictionem inuoluat, qui enim adferit dari lignum
ferreum, is adferit, quod id, de quo loquitur, simul
lignum sit, simulque non lignum seu ferrum sit. Cir-
B culum

con-
strina
vt si
eum
petrus
se do-
orum,
tescit,
ones:
loctus
on ne-
Ticius
bunde
acteri-
l defi-
ictio;
con-

atio,
per
eius-
modi
ntur
adeft

in no-
qui-
quae
signi-
aturam
is qua-
n suam
sem-

culum quadratum impossibile quid adpellamus, vbi cognoscimus, eum contradictionem inuoluere, is enim eodem tempore rotundus esse deberet, per essentiam suam, eodemque tempore quadratus esse deberet. Si denique assumas bis duo facere plus aut minus, quam quatuor, facile reperies. quod et hoc inuoluat contradictionem, hoc enim si esset, bis duo simul facerent quatuor, per naturam suam, simulque non facerent quatuor, dum per hypothesin plus, vel minus facere adsumuntur; hanc contradictionem quamprimum animaduertis, impossibilitatem rei agnoscis. Hinc ergo, vt opinor, abunde patet, quod perpetuus et sufficiens character eius, quod fieri nequit, fit, *to* inuoluere contradictionem, adeo, vt impossibile recte definiatur per id, quod contradictionem inuoluit; et cum possibile sit impossibilis oppositum, opposita ratione recte definitur, quod fit id, quod non inuoluit contradictionem.

Ex sententia quorundam nimis generalis est, quam de possibili suppeditauit, notio, quae sub se comprehendit, I) omnia ea, quae actu existunt, haec enim si non essent possible, seu, quod idem est, si essent impossible, existere non possent, quod patet ex iis, quae in nota praecedenti fuere dicta. II) Sub possible continentur omnia ea, quae quidem non existunt actu, quae tamen aliquando sunt existitura, haec enim, quod ex antecedentibus constat, numquam ad existentiam peruenire possent, si essent impossible. Denique III) inter possible hac ratione definita sunt referenda entia innumera, quae numquam existerunt, nec vquam sunt existitura, quae tamen ita sunt comparata, vt contradictionem in se haud contineant. Haec tertii generis possible quidam ex eorundem classe exterminare cupiunt, ac volunt, vt possible ab actualibus contradistinguantur; hinc possible definiunt, quod sint ea, quae quidem non existant, aliquando tamen sint existitura. At vero qui hanc de possibili suppeditant notionem,

SECTIO I. DE INDOLE PHILOS. IN GENERE. II

nem, ineuitabilem quamdam necessitatem omnium rerum, quae in hoc mundo existunt, vel intendunt cum Spinosa, aliisque, quos vulgo fatalistas adpellare consueuimus, vel saltem per praecipitantiam thesin fouent, ex qua necessitas, de qua dixi, prona admodum fuit consequentia: Nam fingas id saltem esse possibile, quod aliquando actu est existiturum, sequitur, ut non nisi ille modus existendi, quo res actu existit sit possibilis, quod contrarium illius modi, quo res actu existit, seu alius existendi modus sit impossibilis, ac per consequens inuoluat contradictionem: Ergo omnis res, quae actu existit ita existit, ut si alio modo existeret, hoc inuolueret contradictionem. Iam vero id, cuius oppositum inuoluit contradictionem, necessarium dicitur; ergo omnia, quae in mundo existunt, per dictam hypothesin necessario existunt eo modo, quo existunt: e. g. actiones Caii etiam si fuerint pessimae, non possunt non tales existere, quales existunt. Ergo haec de possibili notio omnem contingentiam, omnem libertatem, omnem actionum moralitatem, omnem denique imputationem prorsus euertit.

§. VIII.

Id, ex quo res quaedam concipi ac deduci potest, eius rei *rationem* sapientum filii adpellare adsolent. Hinc facile fit manifestum, quid nomine *rationis sufficientis* ipsis veniat; id scilicet ex quo res ista, cuius dicitur ratio sufficiens, ita concipi potest, ut praeter illud nihil amplius requiratur ad rem istam concipiendam, seu, ut tribus verbis dicam, ex quo res sufficienter potest concipi.



Alias in philosphorum scholis per rationis vocabulum indicatur ea mentis nostrae facultas, qua nexum veritatum vniuersalium distincte perspicere nobis datum est, id quod Germani dicunt *die Vernunft*. Saepius hanc rationis vocem ita quoque adhibent, vt per eam denotent id, quod Germani adpellant *den Grund einer Sache*, de hac huius vocabuli notione mihi hic est sermo. Caeterum, quod cum iis, quae in paragrafo adserui, pulchre consentiat communis loquendi vsus, facile reperiet, cui lubet paullo adcuratius in rem inquirere; nam fingas e. g. nos in inferiore aëris regione obseruare spissas nebulas, quae tandem in superiorem ascendunt; fingas nos obseruare, quod vel eodem, vel subsequenti die existat caelum pluuium, nonne omnes huius pluuiae rationem dicent nebulas istas altius ascendentes? quod si autem ex illis quaeramus, quamnam ob causam eas dicant subsequenti pluuiae rationem? absque haesitatione respondebunt, quod id ideo fiat, quia ex istis nebulis pluuia resultauerit, ac concipi possit, nam si hac ratione in superiorem aëris regionem plures aquae particulae ascendunt, quam illa ob minorem grauitatem specificam commode potest supportare, ordinarie fit, vt minores aquae particulae superiores in inferiores incidant ita, vt cum iis cohaereant, et faciant guttas, quae ob grauitatem non possunt non per pluuiam ex aëre delabi. Vnicum exemplum addere lubet magis vulgare, quilibet facile conceder, quod a communi loquendi vsu non recedam si dico: egregiam naturalem dispositionem, improbam diligentiam, et pulchram institutionem esse rationem eius, quod Caius factus sit vir egregie doctus; haec eius, quae in Caio est, doctrinae rationem constituunt, ideo, quoniam ex iis concipi ac deduci potest Cuius doctrina. Patet ergo, quod ratio, *der Grund einer Sache*, fit id, ex quo res, cuius dicitur ratio, potest concipi ac deduci,

Si

Si itaque constat quid sit ratio, facile est ad intelligendum, quid sit rei ratio sufficiens, id scilicet, ex quo res sufficienter potest concipi atque deduci, seu, quod idem est, ex quo res cuius dicitur ratio ita concipi ac deduci potest, ut praeter illud nihil amplius requiratur, ad rem istam concipiendam e. g. ex voluntate diuina actus creationis huius vniuersi ita potest concipi, ut ad hunc actum concipiendum nihil requiratur amplius, ergo in voluntate diuina est sufficiens huius actus ratio.

§. X.

Nihilum est quod existere non potest, seu quod inuoluit contradictionem §. V. VII.

Distinguant alias inter *nihilum negatiuum* et *priuatiuum* illud eadem ratione, qua ego definiunt, hoc autem, scilicet nihilum priuatiuum ipsis est id, quod quidem non actu existit, existere tamen potest, e. g. lignum ferreum adpellant nihilum negatiuum, craftinum autem diem adpellant nihilum priuatiuum. At vero si rem paullo perpendamus adcuratius, facile liquet, nihilum, quod priuatiuum quidam nominant, re vera non esse nihilum, nam cum secundum vulgarem loquendi usum ens et nihilum sint contradictorie opposita, ac se inuicem tollant, admodum inconueniens est idem dicere nihilum, quod est ens possibile, quale est e. c. dies craftinus, item infans nasciturus, caetera. Hinc potius sententiam eorum meo qualicumque adprobo calculo, qui nihilum dicunt id, quod nec existit, nec existere potest, seu quod inuoluit contradictionem.

§. XI.

Omne quod fit, vel ex nihilo fit, vel ex aliquo; si quid fit ex nihilo, hoc inuoluit contradictionem, nam hac ratione nihilum simul existit, alias ex eo nihil fieri potest,



set, simulque nihilum illud non existit, per definitionem §. X. iam vero quae contradictionem inuoluunt, sunt impossibilia §. VIII. ergo impossibile est, seu fieri nequit, ut ex nihilo aliquid fiat; ergo quae fiunt, fiunt ex aliquo.

§. XII.

Dum omnia quae fiunt, fiant ex aliquo, §. XI. sequitur ut, quidquid adsumas, semper adesse debeat aliquid, ex quo illud potest concipi atque deduci, et quidem sufficienter: Nam fingas aliquid, vel minimum, in hoc mundo existere, quod ex aliquo quidem concipi possit, non tamen sufficienter, sequitur, ut in illa re eatenus, quatenus non sufficienter potest concipi, aliquid sit, quod ex nihilo fuit factum, (nam si omnia, quae in re sunt, maxima, minima, ex aliquo sunt facta, adest aliquid, ex quo possunt concipi,) iam vero ex nihilo nil potest fieri, §. XI. ergo omnia quae in hoc mundo fiunt, ita fieri debent ex aliquo, ut ex eo sufficienter possint concipi ac deduci.

§. XIII.

Id, ex quo res sufficienter potest concipi

pi atque deduci, dicitur eius rei sufficiens ratio §. VIII. Cum ergo omnia, quae in hoc mundo existunt, habeant aliquid, ex quo sufficienter possunt concipi atque deduci §. XII. sequitur *ut omnium, quae in hoc mundo existunt, sufficiens detur ratio.*

§. XIII.

Omnes res in hocce vniuerso obuiaae vel possibiles sunt, vel actu existentes, possibiles eatenus esse possunt, quatenus nullam inuoluunt contradictionem §. VIII. Actu existentes praeter possibilitatem requirunt rationem sufficientem, ex qua eorum concipi potest existentia, alias existeret aliquid sine ratione sufficiente, quod fieri nequit §. XIII. ergo omnes res eatenus esse possunt, quatenus contradictionem non inuoluunt, et rationem habent sufficientem.

De voce possibilis id obseruandum hic venit, quod potissimum duplici sensu eo uti soleant sapientiae doctores, adhibent scilicet eam vel in significato lato, ita, ut eo denotent omne id, quod contradictionem non inuoluit, siue actu existat, siue minus; hac ratione vocabulum hoc adhibui, ac definitum dedi §. VIII. Alias illud quoque in philosophorum scriptis adhibetur in sensu stricto, ita, ut per illud significant id, quod quidem non actu existit, existere tamen potest; hoc sensu hic §. XIII. isto vtor vocabulo.

§. XV.

per
tra-
ia §.
quit,
iunt,

quo,
sem-
illud
idem
mini-
x ali-
n suf-
enus,
ncipi,
tum,
kima,
t ali-
vero
omnia
ebent
con-

onci-
pi



§. XV.

Philosophia est scientia posibilibum, quatenus esse possunt.

In praecedentibus omnia ea, quae hanc definitionem ingrediuntur, ita dedi explicata, vt non possint non intelligi. Exposui, quid rei sit scientia §. III. III. II. declarauit quid sit possibile §. VIII. VII. V. determinauit, quatenus posibilia esse possint §. XIII. Horum omnium, quae hucusque fufius dedi demonstrata, summa huc redit: philosophamur dum cum facilitate quadam ex principiis indubiis, quales sunt experientiae, definitiones et axiomata, rei cuiusdam possibilitatem vel actualitatem ita deducimus, vt subsequencia ex antecedentibus vbiuis rite secundum regulas logicas, et pro-na consequentia fluant. Quatenus ergo quis ad id faciendum est aptus, eatenus philosophi nomen ei competit.

Vnicum momentum in hac, quam de philosophia dedi, definitione explicandum atque determinandum superest: Dicitur scilicet philosophia scientia posibilibum, hic ergo determinandum venit, numne possibiles res ad vnam omnes, num vero aliquae saltem sint philosophiae obiectum? de hoc vt distincte constet, moneo, quod sensus huius quaestionis possit esse duplex, ita vt vel de sola possibilitate, vel de actualitate in ea sit sermo; si de possibilitate quaeritur, numne scilicet res possibiles ad vnam omnes ad obiectum philosophiae possint referri? ac num omnes istae ita sint comparatae, vt philosophari quis de iis possit? ab errore tutus hoc adfirmo: Nam cum omnium rerum sufficiens, de-rur ratio §. XIII. sequitur vt omnium posibilibum et actu existentium ratio sufficiens ex principiis indubiis possit deduci, et cum in eo sita sint essentialia philosophiae, vt scilicet vel possibilitatem rerum ex contradictionis principio, vel existentium rationem sufficientem ex prin-

principiis indubiis deducamus §. XIII. XV. facile fit manifestum quod omnium rerum, et possibilium et actu existentium detur philosophica cognitio, quodque res istae ad vnam omnes philosophiae possint esse obiectum.

Quod si autem quis quaerat, num actu omnia possibilium philosophiae obiectum ita constituent, ut ibi non sit philosophia, ubi non est omnium possibilium scientia, nec is sit philosophus, qui non de omnibus possibilibus potest philosophari? hoc quam maxime nego: Haec enim ratione si res sese haberet, non esset philosophus, nisi solus deus; atvero, cum secundum communem loquendi usum et homines existant philosophi, definitio philosophiae atque philosophi, ut loquendi consuetudini sit conformis, ac eum praestet usum, ut per eam homines philosophos, quorum nullus experientia recte, de omnibus possibilibus philosophari potest, ab aliis distinguere queamus, ita est explicanda, ut intelligatur, quod quidem si deum philosophum dicere quis velit, non autem si de hominibus, aut aliis entibus finitis philosophia praedicatur, eius obiectum actu res possibilium omnes constituent. Est ergo philosophia respectu hominum, et aliorum entium finitorum, scientiarum plurium possibilium, quatenus esse possunt; et is est homo philosophus, qui rerum plurium possibilitatem, ac sufficientem rationem ex indubiis principiis deducere nouit. Si autem §. XV. dicitur philosophiam esse scientiam indeterminate omnium possibilium, ea consideratur abstracte, nullo facto respectu ad subiecta quibus inhaeret. Haec quae iam in medium protuli, ut ego quidem existimo, multum faciunt ad definitionem philosophiae §. XV, quae est ill. Wolfii, distincte intelligendam, contra quam multis multa fuere subnata dubia, sed, me quidem iudice, iusta sine causa, vide sis clar. Hollmanni dissert. poster. de vera philosophiae notione Sect. I. it. clar. Crameri *Aufösung der Zweifel Herrn Iac. Fried. Müllers &c.* §. II. seqq. it. Kindleri diss. de philosophia possibilium, et cel. Baumeisteri philosophiam defin. p. II. seqq.

SECTIO II.
DE INDOLE METAPHYSICÆ.

§. XVI.

Quodsi consideremus res individuas in mundo existentes, multa in iis deprehendimus, quae etiam in aliis obseruare licet; immo talia in iis reperimus, quae rebus existentibus omnibus sunt communia.

Haec experientia, quam tamquam demonstrandi principium hic sumo, adeo euidentis est, ut nemo, qui nouit, quid rei sit experientia, eam vocare possit in dubium: Nam si consideremus e. g. corpus nostrum, quod est ens individuum, in eo reperimus e. c. quod sit graue, extensum, compositum, caetera: haec cum omnibus corporibus, quotquot existunt, corpus nostrum communia habet. Porro in corpore nostro obseruamus organa sensoria, qualia itidem deprehenduntur in corporibus omnium reliquorum hominum, nec non in corporibus brutorum. Consideret quis hac ratione aliam rem individuum, quamcumque velit e. g. hanc mensam, sat multa in ea obseruabit, v. c. longitudinem, latitudinem, profunditatem, figuram, grauitatem, vim morui resistentem, caetera; quae omnia in omnibus aliis corporibus itidem obseruantur. Eodem modo facili negotio id patet, quod vltius in paragrapho adserui, quod scilicet in vnoquoque individuo, quaedam reperiantur, quae rebus existentibus omnibus sunt communia: v. c. vnumquoduis individuum est ens, existit, non inuoluit contradictionem, caetera. Haec omnia eadem ratione se habent in omni re existente.

§. XVII.

Eadem dicuntur, quae sibi mutuo possunt sub-

substitui, ita, vt facta substitutione, nulla adsit mutatio, in eo, in quo facta est substitutio. *Diuersa* sunt, quae sibi inuicem non possunt mutuo substitui ita, vt facta substitutione, nulla adsit mutatio in eo, in quo facta est substitutio.

Fingas adesse duo aureos A et B. quorum alterum eligere debeas; si saltem ad valorem respicias, et in utroque aequale auri pondus reperias, dices hos aureos ratione valoris eosdem esse, quam quaeso ob causam? nonne ideo, quia, siue A consideres, siue B substituas, ratione valoris nulla adparet differentia, nulla mutatio? dicit ergo hos aureos eosdem ratione valoris, quoniam sibi mutuo possunt substitui, ita, vt, facta substitutione, nulla adsit mutatio in eo, in quo facta est substitutio, scilicet in valore. Si diuersorum exemplum desideras, assumes aureum et thalerum, hos ratione valoris diuersos dices ideo, quia valorem vnus valori alterius non potes substituere ita, vt nulla sequatur mutatio.

§. XVIII.

Nihil est sine ratione sufficiente §. XIII. ergo si A et B sunt eadem, eius, in quo sunt eadem, ratio sufficiens detur necesse est; ergo id, cuius respectu A et B sunt eadem, aequè bene ex ratione sufficiente τ A quam ex ratione sufficiente τ B, concipi possit necesse est. Ergo siue rationem sufficientem τ A assumes, siue rationem sufficientem τ B substituas, ex

C 2

vtra-

s in
pre-
le li-
e re-
nia.
prin-
ai no-
in du-
quod
ir gra-
omni-
a com-
us or-
corpo-
corpo-
m rem
ensam,
titudi-
motui
is cor-
is nego-
is, quod
iantur,
v. c.
invol-
em ra-

ffunt
sub-



utraque aequè bene potes concipi id, in quo A et B sunt eadem, nulla adest, hoc si respicias, post factam substitutionem mutatio. Cum itaque ista, quae sibi inuicem possunt substitui ita, ut facta substitutione nulla adsit mutatio, in eo, in quo facta est substitutio, dicantur eadem §. XVII. sequitur ut, quatenus A et B sunt eadem, eatenus eorum ratio sufficiens eadem esse debeat. Ergo ea, quae in diuersis indiuiduis sunt eadem, eandem habent rationem sufficientem.

Vt vel vnico exemplo ea illustrem, quae in paragrafo fuere dicta, ex re sòre existimo; assumas duo corpora A et B, in vtroque reperis grauitatem, hanc si in genere consideres, absque determinata quantitate, respectu eius A et B sunt eadem, nam siue A sumas, siue B substituas, habes in genere corpus, cui competit grauitas; huius grauitatis in genere consideratae non potest non sufficiens existere ratio; ista grauitas aequè bene ex ratione sufficiente τ A, quam ex ratione sufficiente τ B poterit concipi; ergo quatenus A et B sunt eadem, eatenus eorum ratio sufficiens est eadem.

§. XVIII.

Philosophia est scientia possibilium quatenus esse possunt §. XV. ergo vbi philosophamur, id per conatus voluntatis obtinere studemus, ut nobis aliisque pateat, quatenus ens illud possibile, de quo philosophamur esse possit; eatenus autem possibilium

bilia esse possunt, quatenus contradictionem non inuoluunt, et rationem habent sufficientem §. XIII. Cum ergo id, quod per conatus voluntatis obtinere studemus, dici soleat finis; adparet totius philosophiae finem esse, ut pateat, rem quamdam contradictionem non inuoluere, atque hanc illamue habere sufficientem rationem.

§. XX.

Eorum, quae in diuersis indiuiduis sunt eadem, eadem sufficiens est ratio §. XVIII; cum ergo omnis philosophia eo tendat, ut rationem rerum sufficientem eruamus §. XVIII, facile intelligitur, ut, si scimus rationem sufficientem communem eorum, quae in variis indiuiduis sunt eadem, de omnibus istis indiuiduis, quae commune quid habent, philosophari possimus, quod attinet ad id, quod commune habent. Contra, cum indiuidua ad vnum omnia multa cum aliis habeant communia §. XVI, sequitur ut, si ignoramus rationem sufficientem communem eorum, quae in diuersis indiuiduis sunt eadem, de nullo indiuiduo philosophari possimus. Hinc facile ulterius



terius consequitur, vt, si philosophari volumus, in primis eo nobis sit dispiciendum, vt de iis, quae in omnibus, vel in pluribus indiuiduis sunt eadem, ac de eorundem sufficiente ratione distinctas nobis formemus ideas.

Quae fuere dicta, hoc exemplo illustrare lubet: si scis grauitatis rationem sufficientem communem, de omnibus istis indiuiduis, quae grauitatem communem habent, adeoque de omnibus corporibus philosophari potes, id est scientiam habes de eo, quatenus possibilis sit grauitas, qualis eius sit ratio sufficiens in indiuiduo primo, secundo, tertio, caetera. Contra, quodcumque indiuiduum assumes, siue simplex, siue compositum, quidquid in eo considerandum tibi sumseris, e. g. compositionem, simplicitatem, extensionem, vim cogitandi, essentiam, et sic porro, non poteris de his, quae in eiusmodi indiuiduo deprehendis philosophari, eorumque rationem sufficientem explicare, nisi ea antea consideraueris quatenus pluribus indiuiduis sunt communia, et eorum rationem sufficientem communem perspectam habeas, ita, vt scias, quid in genere sit compositum, quid simplex, quid extensum, quid vis, quid cogitare, quid essentia, et sic porro.

§. XXI.

Fieri potest, experientia teste, vt ad ista sola, quae in variis indiuiduis sunt eadem, animum nostrum attendamus, cumque a consideratione caeterorum, quae in indiuiduis illis non sunt eadem, retrahamus; immo fieri potest, quod experientia quemuis

uis edocet, ut ea, quae variis indiuiduis sunt communia, figilatim in mente nobis repraesentemus, non cogitantes obiecta, seu indiuidua, quibus sunt communia. Quod si ergo de iis rebus, quae pluribus indiuiduis sunt communes, ac de eorum sufficiente ratione, distinctas nobis formare cupiamus notiones, sine quibus philosophari haud possumus, §. XX, ad hunc finem admodum facit, si ad eiusmodi quid, quod in variis indiuiduis est idem, animum nostrum in primis attendamus, eumque a consideratione aliarum rerum, immo ipsorum subiectorum, in quibus idem deprehendimus, auocemus, idque solum in mente nobis repraesentemus: Valet enim et hic: pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Quod, ubi indiuidua cogitamus, quae commune quid habent, figilatim cogitare possumus id, quod commune habent, animo ab iis reuocato, quae illis communia non sunt, extra omnem dubitationis aleam est positum penes eos, qui sciunt, quae in illis gerantur: quis quaeso est, qui dubitet, quod, ubi duo consideramus horologia, ad eundem compositionis modum, quem habent, animum attendere possumus, non cogitantes diuersam, quibus ista constant materiam? Nec de eo cum ratione quis dubitare poterit, quod eiusmodi quid, quod in pluribus indiuiduis est idem, figilatim in mente nobis possumus repraesentare, ita, ut indiuidua ista, seu subiecta,

VO-
um,
ibus
dem
me-

et: si
, de
unem
ophari
sibilis
uiduo
imque
litum,
com-
itandi,
uae in
orum-
a con-
mmu-
a per-
com-
quid

ista
dem,
ue a
indi-
mus;
nem-
uis

iecta, quibus id inhaeret, non cogitemus. Nemo est nescius, quod e. g. nobis in mente repraesentare possumus spatium tribus lineis inclusum i. e. id, quod omnibus triangulis est commune, etiamsi non cogitemus id indiuiduum trianguli, quod in tabula est descriptum, aut aliud subiectum, in quo qualitas haec deprehenditur.

§. XXII.

Si in re quadam varia obseruamus, ex istis autem variis vnum saltem nobis repraesentamus in mente, eam auocantes a consideratione reliquorum immo ipsius subiecti, cui illud vnum inhaeret, *abstrahere* dicimur. Cum ergo dicta ratione notiones de iis, quae pluribus indiuiduis sunt communia, commodissime nobis possumus comparare, §. XXI, eas abstrahendo adquiri palam est.

Vt paullo distinctius intelligatur res, cuius vsus per omnes se diffundit sapientiae partes, scilicet quid sit abstrahere, pauca ad id illustrandum proferam in medium, nam si fusius hanc rem hic pertractare vellem, hoc praesens meus non ferret scopus, logicis meis id referuo scholis. Vox abstrahere est composita ex praepositione *abs* et ex verbo *trahere*; est ergo abstrahere vi originis atque compositionis suae idem, ac Germanorum *abziehen*. Si ergo vocabulum hoc de operatione quadam mentis nostrae adhibetur, commodissime de ea potest vsurpari, qua mens nostra in re quadam varia dum obseruat, vim suam quasi abstrahit, seu retrahit a consideratione reliquorum, et ad vnum saltem suum attendit acumen. Si vsum loquendi communem consulimus reperimus,

mus, quod actu vox abstrahere ea adhibeatur ratione, qua dixi e. g. abstrahere dicimur, si in homine quodam varia distinguentes, corpus v. c. et mentem, in mente intellectum, voluntatem, memoriam, imaginationem, appetitum sensitivum et rationalem, caetera; si, inquam, hic mens nostra auocat quasi et retrahit vim suam a consideratione reliquorum, quae in homine cognoscit, et tantum considerandum sibi sumit, quid sit memoria hominis, immo et hanc sibi repraesentat in genere, non quatenus in hoc illoue determinato inest subiecto. Dici vix potest, quantum haec abstractio nobis praestet usum, vbi distinctas sectamur notiones, sine quibus philosophari haud possumus, hinc ego quidem abstractionem omnis philosophiae fontem adpellare non dubito; Nam in quacumque re, quod experientia quemuis edocet, varia possunt distingui, si ad omnia ista varia eodem tempore animum attendimus, copia nos confundit, et obicit, quod dixi: pluribus intentus minor est ad singula sensus. Ad propriam experientiam, vt breuitati studeam, quemuis ablego, cogitet quis, si potest, eodem tempore quid sit in homine corpus, cogitet omnes illas quibus constat partes, cogitet quid anima, quid intellectus, quid voluntas, quid memoria etc. facile experietur, quod ad distinctam atque philosophicam cognitionem variorum istorum, quae in homine sunt, peruenire prorsus nequeat, nisi diuersis temporibus ad vnumquoduis eorum animi vim attendat, et a reliquis abstrahat. Evoluant, quibus lubet B. Herzogii nostri duas dissertationes de arte abstrahendi, quae prodierunt in Salana nostra.

§. XXIII.

Notio, quae notas recenset, per quas rem agnoscimus, dicitur *distincta*. Si notae istae, seu characteres ita sunt comparati, vt per

D

eos

eos rem quamdam constanter ab omnibus aliis distinguere posimus, dicitur *notio completa*. Ergo si eiusmodi rei, quae pluribus indiuiduis est communis, notionem distinctam atque completam habere cupimus, characteres, seu notas habeamus necesse est, per quas eam omni tempore, et ab omnibus aliis distinguere valemus, id quod ex logicis hic supponere liceat. Eiusmodi notas characteristicas perpetuas ut eruamus, ita est procedendum: I) res, cuius characteres quaerimus, consideranda est in diuersis indiuiduis, seu casibus specialibus. II) omnia quae in re ista distingui possunt solite obseruentur. III) Vnumquodlibet horum, quae in re ista distinguuntur, sigillatim examinandum, num competat rei in omni indiuiduo, seu casu speciali consideratae, num vero minus. IIII) quae competunt rei in omni casu speciali, combinentur; quo facto omnia adsunt ea, quae ad notionem distinctam atque completam requiruntur. Hac ergo via nos ad eiusmodi notiones peruenire palam est.

Vnico exemplo, quae fuere dicta, illustrare iuuat. Fingas te distinctam atque completam notionem de triangulo eruere velle, hoc ut obtineas, I) ante oculos tibi ponas

ponas triangula indiuidua tot specierum, quot potes.
 II) Omnia, quae in iis possunt distingui, sollicitè, obser-
 ues, scilicet α) numerum laterum, ubi deprehendes,
 quod tria adsint, quae spatium includunt, β) numerum
 angulorum, quorum itidem tria conspicias, γ) rationem
 laterum, ubi cognosces, quod sint lineae rectae, quod
 vel omnes sint aequales, vel inter duas saltem aequali-
 tas obtineat, vel nulla cum altera aequalem habeat men-
 suram. δ) Rationem angulorum, ubi hos casus distin-
 guere poteris: vel vnus angulus rectus adest, et duo
 acuti; vel vnus obtusus adest, et duo acuti, vel tres
 denique angulos acutos adesse deprehendes. Si hac ra-
 tione omnia, quae in triangulo possunt distingui, soli-
 cite fuere obseruata, III) horum omnium quodlibet ab-
 strahendo figilatim examines, num competat triangulo in
 omni indiuiduo, seu casu speciali considerato, num vero
 minus. Hoc ubi facies, facile tibi patefcet, quod in nul-
 lo eorum, quae fuere recensita, omnia triangula conue-
 niant, quodque nihil competat triangulo rectilineo in o-
 mni indiuiduo considerato, nisi hoc, quod vbiuis adsit spa-
 tium lineis inclusum, quod vbiuis adsint tres lineae rectae,
 itemque tres anguli. Haec, quae competunt triangulo
 in omni casu speciali considerato, IIII) apte combinentur,
 secundum logica principia, quo facto haec tibi enascetur
 distincta atque completa trianguli notio, quod sit spatium
 tribus lineis rectis inclusum.

§. XXIII.

Cum de aliis rebus philosophari haud
 possimus, nisi distinctas nobis antea forma-
 uimus notiones de iis, quae vel omnibus,
 vel pluribus rebus sunt communia §. XX,
 sequitur, vt necessario constituenda sit phi-
 losophiae pars, quae nobis notiones, de
 qui-



quibus dixi suppeditat, quaeque reliquis fundamenti est substernenda loco. Hanc philosophiae partem Metaphysicam adpellare consueuimus. Patet itaque Metaphysices vtilitas aeque ac necessitas. Facile insuper est ad intelligendum; quid rei sit *Metaphysica*, scilicet *scientia de generalioribus rerum adfectionibus, seu de iis, quae omnibus, vel pluribus rebus sunt communia.*

Hanc, quam de Metaphysica suppeditavi, definitionem, ex iis, quae in antecedentibus in medium fuere prolata, satis intelligi posse crediderem, ibi enim distincte exposui, quid sit scientia §. III. III. II. quod datur quaedam, quae omnibus, vel pluribus rebus sunt communia §. XVI. Id quoque fuit demonstratum, quod possibilis sit modus, quo, ope abstractionis, nobis formare possumus eiusmodi notiones generales distinctas atque completas §. XXI. XXII. XXIII.

De Metaphysices nomine hic quaedam addere lubet: Ortum suum illud trahit ab Aristotele, veterum philosophorum pncipe, qui quatuordecim composuerat libros, in quorum initio haec scripserat verba: *τα μετα τα φυσικα*; haec verba duplicem possunt habere sensum, cum praepositio *μετα* duplici potissimum adhibeatur ratione, vel enim illa significat *post*, vel *supra*; hinc verba *τα μετα τα φυσικα* significare possunt vel ea, quae post res physicas sunt tractanda, vel ea, quae sunt supra res naturales, sensibus obuias, quaeque non, nisi abstrahendo, nobis innotescunt. Mea iam non refert, operosis coniecturis in id inquirere, quid Aristoteles hisce verbis voluerit innuere, mihi iam sufficit monuisse, quod sublequentis temporis philosophi, illam de generalibus rerum adfectionibus scientiam, de qua dixi, adducti ver-

bis istis Aristotelis, Metaphysicam adpellarint, siue id factum sit ob graecae linguae ignorantiam, siue ideo, quod nomen magis commodum nesciuerint, vel aliam quamcumque ob causam. Caeterum Aristoteles in quatuordecim istis libris, quibus iam nomen est Metaphysica, fere eundem sibi praefixum habuit scopum, quem sibi proponunt recentiorum temporum philosophi, vbi Metaphysices componunt systemata; tradere scilicet voluit Aristoteles in libris istis doctrinam de ente summo atque infinito, et cum hoc fieri non posset absque doctrina de ente in genere, atque de spiritibus finitis, de utroque argumento praeparationis loco quaedam praemisit. Hoc vt fusius demonstrarem, adductis librorum istorum locis, meum iam non fert institutum; Cel. Hollmanni de primario Aristotelis scopo testimonium hic adduxisse sufficiat, quod exstat in eiusdem prolegomenis philosophiae primae §. VII, vbi hunc in modum disserit: „Nihil aliud Aristoteli in libris, quos vocant *τα μετα φυσικα*, »pertractare propositum fuit, quam vt maxima, qua »quidem poterat, *ακριβεια*, inquireret, num praeter »res sensibiles, perpetuo fluentes, in rebus omnibus ad »huc quid derur, quod magis constans ac perpetuum sit, »illisque quasi subster, quodque adeo et pro illarum »principio, causaque prima reputari queat.„ Patet ex his, quae fuere dicta, quod multum aberrarint ab Aristotelis mente ii, quibus Scholasticorum haesit nomen, qui Metaphysicam Aristotelis in sterilem de ente commutarunt doctrinam, eique ieiunis suis thesibus de quidditatibus, formitatibus, futuribilitatibus, patreitatibus, petreitatibus, caetera, a quibus sanae aures abhorrent, meretriciam quasi induerunt formam, adeo, vt omnium honestorum et prudentum eam exposuerint ludibrio ac contemptui. Temporibus autem subsequentibus exstiterunt, qui eam pristinae suae dignitati adeo restituerunt, vt hodie quiuvis scientiis iustum statuens pretium, eam magni faciat, eique insignem prorsus in omni scientiarum genere concedat usum.



§. XXV.

Cum Metaphysica sit scientia §. XXIII, ea ita est proponenda, vt subsequencia ex antecedentibus commode fluant atque ex iis possint concipi §. IIII. Iam vero generaliores rerum adfectiones, specialiores in se continent, ideoque hae ex iis possunt concipi atque deduci, per principia logica de notionibus vniuersalibus, ergo Metaphysica ita est proponenda, vt caeteris praemittatur doctrina de generalissimis rerum adfectionibus; et cum nihil magis rebus in vniuersum omnibus sit commune, quam id, quod sint entia, sequitur vt sub initium systematis metaphysici tradenda sit doctrina de ente in genere, seu quatenus ens est. Iam ergo ex dictis manifesto consequitur, quod prima Metaphysices pars ea sit constituenda, quae agit de generalissimis rerum adfectionibus, et in specie de ente in genere, seu quatenus ens est: Hanc Metaphysices partem Ontologiam adpellare consueuimus, ergo *Ontologia est scientia tradens ea, quae, de generalissimis rerum adfectionibus, et in primis de ente in genere scire nostra interest.*

Onto.

Ontologiae nomen deriuandum est ex graecorum *ov*, quod *ens* denotat, et ex *λογος*, quod sermonem, seu pertractationem significat. Est ergo Ontologia vi originis doctrina, seu scientia de ente, illa adpellatio est admodum apta, cum, quae in ea traduntur, potissimum concernant ens in genere consideratum. Dicitur quoque alias *Ontosophia*, ab *ov* ens, et *σοφια* sapientia, quia exhibet sapientum, seu philosophorum de ente doctrinam. Dicitur denique *philosophia prima*, quia primam constituit philosophiae partem, et quia prima omnis philosophicae veritatis in se continet stamina, atque rudimenta §. XXIII. XXV. Caeterum, vt Ontologiae definitio quam distinctissime intelligatur ab iis, qui iam primum sapientiae adeunt castra, in quorum gratiam potissimum hanc composui opellam, hoc addere ex re esse existimo, quod per generalissimas adfectiones rerum intelligam ea, quae vel omnibus, vel pluribus rebus sunt communia, tale quid est conceptus entis, qui adplicari potest omnibus omnino rebus, et existentibus, et possibilibus, et compositis, et simplicibus, animalibus, lapidibus, caetera; nam per ens intelligimus omne id, quod non inuoluit contradictionem. Est quoque eiusmodi generalissima rerum adfectio principium illud, quo adserimus, nihil esse sine sufficiente ratione, item, nihil simul esse et non esse, vbi enim res existit vlla, ibi existit his principis conformis. Porro, vt intelligatur, quid sit ens in genere, seu ens quatenus ens est, haec obseruentur, velim: Quodlibet ens duplici potest considerari modo, a) tamquam ens in genere, seu quod ad ea, quae cum aliis entibus diuersorum generum habet communia, e. g. si ens illud, cui nomen est homo, considerandum tibi sumseris, illud spectare potes quod ad ea, quae cum ente omni finito habet communia, quod scilicet sit possibile, quod sit finitum ac limitatum, quod rationem existentiae suae sufficientem habeat in alio quodam ente etc. β) ens quoddam considerari potest, quatenus pra-



praecise hoc vel illud ens est, seu quod ad ea, quibus ab aliis differt entibus e. c. in homine considerari potest corpus organicum, anima rationalis, modus, quo haec duo sunt inter se vnita, essentia humana etc. quae omnia si ab homine recesseris, in nullo alio ente coniunctim occurrunt. Iam ergo nemo non intelligit, quid sit ens in genere, quid sit ens quatenus est ens, per illud scilicet in paragrapho intelligitur ens quod ad ea consideratum, quae cum aliis entibus diuersorum generum habet communia.

§. XXVI.

Mundus generatim spectatus est series omnium rerum simultanearum et successuarum, mutabilem, et inter se connexarum. Hinc facile fit manifestum, quid sit inspecie mundus corporeus, seu adspectabilis, scilicet series omnium rerum corporearum, simultanearum, et successuarum inter se connexarum.

Multum excederet huius meae opellae limites, si hic operose ostendere vellem, qua ratione generalis de mundo notio ex casibus indiuiduis rite, secundum regulas logicas debeat erui, hoc qui nosse cupiunt, eos ablego ad ill. Wolfium, aliosque sat multos, qui hoc adcurate commonstrarunt: omnia, huc potissimum facientia in summam apte redegit clar. Baumeisterus Instit. Metaph. p. 262. §. 391. seqq. Ut tamen paullo intelligatur distinctius haecce definitio, hoc addo: I) mundum constituunt omnia in vniuersum entia, quae vmquam existerunt, quae adhuc existunt, et quae olim exstitura sunt, siue sint simultanea, id est talia, quae eodem tempore, seu simul existunt, siue successua, id est talia, quorum vnum post aliud existit. II) Nemo temere existimet, cum ad mundum referantur entia in vniuersum omnia, quod secun-

secundum hanc definitionem ipse deus fit pars mundi, de rebus enim mutabilibus atque limitatis loquitur definitio, a quibus deus multum differt, quod aliunde constat. III) Equidem sunt, qui putant, hanc definitionem esse suo definito latiore, cum quaelibet series rerum simultanearum, et successuarum inter se connexarum adpellanda sit mundi nomine: At uero ni fallor, falluntur, qui rationes istas subducunt, quamcumque enim seriem specialem rerum quarundam adsumas, ea multum differt a serie ista uniuersali, quae sub se comprehendit simultanea atque successiua ad unum omnia, et quae non nisi unica esse potest. De iis, quae contra hanc definitionem proferri solent dubijs, et quidem praecipuis, confer clar. Baumeisterum in phil. defin. p. 99. seq.

§. XXVII.

Si recesseris ab ente in genere considerato, de quo Ontologia docet, §. XXV, nullae adfectiones sunt generaliores, quam eae, quae competunt huic quaqua patet uniuerso, seu mundo. Cum ergo in Metaphysica explicandae sint generaliores rerum adfectiones §. XXVIII, et quidem ita, ut generaliora praemittantur minus generalibus §. XXV, sequitur, ut in Metaphysices scientia post Ontologiam tradendae sint praecipuae adfectiones mundi in genere considerati; et cum in hocce uniuerso potissimum corpora nobis sint obuia, ut Metaphysica generaliores mundi corporei

E

adfe-

adfectiones nos edoceat, ex re est. Hanc de mundo doctrinam a graeco vocabulo *κοσμος*, quod mundum denotat, Cosmologiam philosophi adpellant; est ergo *Cosmologia scientia de mundo in genere, et in specie de mundo corporeo.*

Equidem sunt, qui cum Wolfio in tradendis Metaphysices scientiis, post Ontologiam collocant Psychologiam empiricam; at ego quidem, saluo tantorum virorum iudicio, Cosmologiam secundam Metaphysicae ad iunctas statuo; nec satis distincte in Psychologia tradi posse crediderim, quid sint sensationes, seu representationes rerum corpori nostro praesentium, nisi illa de mundo corporeo doctrina fuerit praemissa; multa me quidem iudice, in Psychologia empirica exstant alia, quae ex Cosmologia multum accipiunt lucis, quae tamen breuitatis studio ductus, lubens hic omitto. Haec de loco, quem Cosmologia inter Metaphysices partes occupat.

Quod attinet ad ipsam illam de mundo doctrinam, obseruandum, quod ill. Wolfius primus omnium in scientiae eam redegerit formam, confer eius luculentam commentationem, de differentia nexus rerum sapientis et fatalis §. II. Vnde adparet aequae ac ex aliis multis, quanta exstant ill. Wolfii in philosophiam merito, cum tantus sit Cosmologiae in Theologia naturali, Physica, aliisque scientiis usus.

§. XXVIII.

Est in nobis, experientia teste, ens, quod cogitat atque philosophatur, quod ens animam adpellare consueuimus.

Hanc

Hanc animae definitionem non nisi nominalem esse, forsan nemo est, qui non perspiciat.

§. XXVIII.

Ad generales rerum adfectiones, in Metaphysica tradendas §. XXIII. et reliquis philosophiae partibus fundamenti loco subternendas §. XX. quam maxime pertinent generales animarum humanarum adfectiones; Cum enim anima sit instrumentum, quo philosophamur, §. XXVIII, sequitur vt hoc instrumento in nulla philosophiae parte rite vti possimus, nisi distincte intelligamus, quid rei sit anima humana, in quonam eius consistat essentia, et quales sint eiusdem operationes. Ergo constituenda est Metaphysices pars, quae ea nobis distincte exponit, quae de anima humana in genere considerata veniunt obseruanda. Haec de anima scientia a Graecorum vocabulo $\psi\upsilon\chi\eta$, quod animam denotat, nomen Psychologiae est sortita. *Est ergo Psychologia scientia de anima humana in genere, eiusque operationibus.* Cum Psychologia specialius, quam Cosmologia pertractat argumentum, Cosmologiae est

E 2

sub-



subiungenda §. XXV, ideoque tertiam constituit Metaphysices partem.

Quantum in omni philosophiae parte Psychologia praestet usum, facile esset ad demonstrandum, nisi et hic breuitatis duceret studio, cogitet quaeso qui ea de re dubitat, quod per Logicam dirigi atque emendari non possit intellectus, quae est animae facultas, nisi antea constet ex Psychologia, quid in genere sit anima, quid intellectus. Eadem ratione in omni philosophia practica, quae tendit ad emendam voluntatem, nil proficiet, qui ex Psychologia non didicit, quid sit anima, quid voluntas, quid ratio, quid adfectus, caetera.

§. XXX.

Vt duplex ad omnem cognitionem nostram nos ducit via, experientia scilicet et ratio, quod aliunde hic supponere liceat; ita et ea, quae de anima nostra cognoscimus, nobis innotescunt vel a posteriori, seu per experientiam, vel a priori, seu per ratiocinia. Hinc duae constitui solent Psychologiae partes, quarum prior ea trahit, quae experientia de anima nostra nos edocet, cui parti *Psychologiae empiricae* haesit nomen. Altera pars ea completitur, quae per ratiocinia de anima euincimus; huic parti nomen est *Psychologia rationalis*.

§. XXXI.

§. XXXI.

Ex iam dictis facile patescit, quod *Psychologia empirica sit scientia, ea de anima humana tradens, quae per experientiam nobis constant.* Intelligitur itidem, quod *Psychologia rationalis sit scientia eorum, quae per ratiocinia de anima humana eruuntur.* Empirica Psychologia in rationali supponitur, in hac enim experientiae, quas illa sup-
 peditat, adsumuntur, ac ex illis ulterius concluditur: Hinc fit manifestum, quod Psychologia empirica in Metaphysica prius sit tradenda, quam rationalis.

§. XXXII.

Hic omnis philosophiae finis est, ut pateat, quaenam sit ratio rei, de qua philosophamur, sufficiens §. XVIII. hoc supponit, cum de omnibus rebus philosophari possimus, §. XV, Nota II, quod omnium rerum detur, seu existat sufficiens ratio, item, quod vnum vel plura entia existant, quae reliquorum omnium sufficientem in se contineant rationem. Si ergo tuto philosophari volumus, hac de re certi quid ante omnia deter-




determinemus necesse est. Ergo necessario Metaphysices, quae reliquis philosophicis scientiis fundamenti est substernenda loco §. XXIII, constituenda est pars quaedam, quae nos distincte edoceat, quod, et quid sit ens illud, quod omnium rerum sufficientem in se continet rationem. Hoc praestat Theologia, quam naturalem vocant; haec distincte demonstrat, quod ens illud infinitum, quod deum adpellamus, omnis rationis sufficientis sit ultimus quasi fons atque origo. *Est ergo Theologia naturalis scientia de deo, de attributis et operibus diuinis, prout rationis ductu ea nobis innotescunt.*

Haec Theologia, seu doctrina de deo ideo naturalis audit, ut eo facilius a reuelata Theologia distinguatur; huius enim primarius est scopus, ut ea de deo, de attributis ac operibus diuinis nobis tradat, quae non nisi per specialem quamdam reuelationem diuinam nobis innotescunt, in quo huius finis atque obiectum differt a Theologiae naturalis fine atque obiecto.

Ultimam constituit Theologia naturalis Metaphysicae partem ideo, quia principia sua ex Ontologia, Cosmologia et Psychologia mutuatur, quod cuius eam inspicienti facile patefcit. Iam iudices B. L. numrite obtentus a me sit, quem sub opellae initium indicaui,

F I N I S.





TOTIVS DISSERTATIONIS FORMA.

SECTIO I.

DE INDOLE PHILOSOPHIAE IN
GENERE.

Tradit

- §. I. Totius instituti rationem.
- §. II. Quid sit habitus.
- §. III. Quid demonstrare.
- §. IIII. Quid scientia.
- §. V. Quid contradictio.
- §. VI. Quid contradictio explicata, quid implicita.
- §. VII. Quid sit contradictionem involuere.
- §. VIII. Quatenam sint possibilis, quae impossibilis.
- §. VIII. Quid ratio, quid sufficiens ratio.
- §. X. Quid sit nihilum.
- §. XI. Quod ex nihilo nil possit fieri.
- §. XII. Quod quidquid existit, ex aliquo sufficienter possit concipi atque deduci.
- §. XIII. Quod omnium sufficiens existat ratio.
- §. XIII. Quod omnes res carens esse possint, quatenus contradictionem non involuunt, et rationem habent sufficientem.
- §. XV. Quid sit philosophia.

SECTIO II.

DE INDOLE METAPHYSICAE.


Tradit

- §. XVI. Quod multa in rebus observentur, quae multis vel omnibus rerum individuis sunt communia.
- §. XVII. Quatenam sint eadem, quae diversa.
- §. XVIII. Quod eorum quae sunt eadem, eadem sufficiens sit ratio.
- §. XVIII. Omnis philosophiae finem esse, ut pateat, rem quamdam esse possibilem, atque hanc, illamve sufficientem habere rationem.
- §. XX. Quam utiles sint ad philosophandum notiones distinctae de iis, quae pluribus rebus sunt communia.
- §. XXI. Haec, quae in variis individuis sunt eadem, sigillatim consideranda esse, misis iis, quae in individuis illis sunt diversa.
- §. XXII. Eiusmodi notiones generales abstrahendo esse acquirendas, et quid sit abstrahere.

§. XXIII.



- §. XXIII. *Qua ratione formentur
notiones distinctae ac comple-
tae de generalibus rerum ad-
fectionibus.*
- §. XXIV. *Quid sit Metaphysica.*
- §. XXV. *Quaenam Ontologiam
absoluant.*
- §. XXVI. *Quid sit mundus in ge-
nere, quid in specie mundus
corporeus.*
- §. XXVII. *Quid Cosmologiae no-
mine veniat.*
- §. XXVIII. *Quid sit anima.*
- §. XXVIII. *Quid per Psycholo-
giam intelligendum veniat.*
- §. XXX. *Cur diuidatur Psycho-
logia in empiricam et ratio-
nalem.*
- §. XXXI. *Quid sit Psychologia
empirica, quid rationalis.*
- §. XXXII. *Quid sit naturalis
Theologia.*



Jena, Diss; 1740

ULB Halle 3
004 548 477




f
sb.

W 18







PHILOSOPHICA 1740, 17

INDOLE
IAE IN GENERE
INSPECIE
PHYSICAE

21

QVAM
MAGNIFICENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
M I N O

MO HENRICO

VLIACI CLIVIAE MONTIVM
ESTPHALIAE COMITE SAY-
GENSTEINII RELIQVA

DEMIA IENENSI

ORVM CONSENSV

TORVM EXAMINI SVBIICIET

MVEL HICHTEL

NHALTINVS

DEFENDENS

R KOCH

MO SLESVICENSIS

ER. ET PHILOS. CVLTOR.

PRILIS CIOIOCCXXXX.

TTTERIS SCHILLIANIS.

